12,14,16,&c. Geometrica verò, vt 1,2,4,8,16,32,64, &c. vel 243,81,27,9,3,1,

3. *In progressionibus requiritur accuratio, & operis facilitas. Accuratio fit, pro fundamento numeros maiores accipiendo: maiores autem numeri ex minoribus facillimè fiunt adiectis cyphris.*

Vt pro 100000, quem rudiores sinum maximum faciunt, eruditiores ponunt 10000000, quò meliùs omnium sinuum discrimen exprimatur. Vnde & eodem nos pro sinu toto & maximo proportionalium Geometricorum vtimur.

4. *In Tabulis computandis etiam ex numeris maioribus maximi fiant, interpositâ periodo inter numerum ipsum & cyphras adiectas.*

Vt ex 10000000, nos initio computationis facimus 10000000.0000000, ne minutissimus error frequenti multiplicatione in immensum crescceret.

5. *In numeris periodo sic in se distinctis, quicquid post periodum notatur fractio est, cuius denominator est vnitas cum tot cyphris post se, quot sunt figuræ post periodum.*

Vt 10000000.04, valet idem, quod $10000000\frac{4}{100}$. Item 25.803. idem quod $25\frac{303}{1000}$. Item 9999998.0005021, idem valet quod $9999998\frac{5021}{10000000}$. & sic de cæteris.

6. *E Tabulis iam computatis, reiici possunt fractiones post periodum locatæ, absque vllo sensibili errore. In magnis enim nostris numeris error insensibilis, & quasi nullus habetur, qui vnitatem non exsuperat.*

Vt completâ Tabulâ pro 9987643.8213051, qui sunt $9987643\frac{8213051}{10000000}$, accipi possunt hi 9987643. absque sensibili errore.

7. *Est præterea alia accurationis formula: quum scilicet quantitas ignota, seu numero inexplicabilis, inter terminos numerales pluribus vnitatibus non differentes includitur.*

Vt posità Diametro circuli partium 497, quia nescitur præcisè quot partium sit ambitus, ideo eruditiores ex Archimedis sententiâ, eum inter terminos 1562, & 1561 incluserunt. Item si costarum quadrati quælibet sit partium 1000, erit diagonalis radix

lis radix quadrata numeri 2000000, quæ cùm sit numero inexplicabilis, ideò per extractionem radicis quadratæ quæruntur eius termini, scilicet 1415 terminus maior, & 1414 terminus minor, vel $1414\frac{604}{2828}$ maior, & $1414\frac{604}{1829}$ minor: videlicet quanto minor terminorum differentia sit, tanto maior accuratio.

8. *Vice ipsarum quantitatum ignotarum, termini earum sunt addendi, substrahendi, multiplicandi, aut diuidendi prout opus fuerit.*

9. *Adduntur bini alicuius quantitatis termini ad binos terminos alterius, quum minor illius minori huius, & maior illius maiori huius additur.*

Vt sit linea 

a b c, in duas quantitates *a b*, & *b c* diuisa; sit *a b* inter terminos 123.5 maiorem, & 123.2 minorem: sitque *b c* inter terminos 43.2. maiorem, & 43.1 minorem. Additis ergo maior ad maiorem, & minore ad minorem, fiet tota quantitas *a c* inter terminos 166,7 & 166.3.

Multiplicantur bini alicuius quantitatis termini per binos terminos alterius, quum minor illius in minorem huius, & maior illius in maiorem huius ducitur.

Vt sit altera quantitas *a b*, quæ sit inter terminos 10.502 maiorem, & 10.500 minorem; altera verò *a c*, quæ sit inter terminos 3.216 maiorem, & 3.215 minorem. Vnde ductis 10.502 in 3.216, & 10.500 in 3.215, prouenient termini 33.774432, & 33.757500; inter quos erit arca *a b c d*.

10. *Terminorum substractio fit, terminum maiorem minoris quantitatis à minore maioris, & minorem minoris à maiore maioris auferendo.*

Vt in schemate primo, si ex terminis *a c*, qui sunt 166.7 & 166.3, subduxeris terminos *b c*, qui sunt 43.2 & 43.1, fient 123.6 & 123.1 pro terminis *a b*; & non 123.5 & 123.2. Nam licet etiam horum additio ad 43.2 & 43.1, producebat 166.7 & 166.3, (per octauam) non tamen è conuerso sequetur